

99 7 244





Σὺν Θεῷ παλάμα

ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ

Disputationis prioris de

ANIMÆ ESSENTIA

Publicè proposita à

M. ELIA EHINGERO,

Respondente

MARCO GVETERMANNO,

Augustanis.

In celeberrima & inclyta VVitebergen-
sium Academia.

*Hrit disputatio ad diem 18. Decembris in Audito-
rio maiori Collegii novi, horis matutinis.*

VVITEBERGAE

Ex Officina Cratoniana, Anno

M. D. XCVI.

Reverendo, Nobilissimis, Cla-
rissimis, Amplissimis, pietate, doctri-
nâ atque auctoritate præstan-
tissimis Viris,

Dn. AEGIDIO HVNNIO S S
*Theologiæ Doctori & Professori VViteber-
gensi Primario, ac Ducatus Saxonici Superattens-
denti dignissimo.*

D. IOHANNI ANTONIO
LAVGINGERO Septemviro,

D. HIERONYMO REMO:

D. IOHANNI HORVVARTO,
Prætori.

D. MICHAELI MAIORI,
Consuli:

D. MATTHAEO STENGLINO:

D. MARTINO BURCKHARDO:

D. NICOLAO PEMERO:

D. MARTINO ZOBELIO:

99 F 244

*Collegio Evangelico apud Augustanos Præfæctis, Mecæ-
natibus & fautoribus suis omni venerationis
cultu dignissimis,*

Debitæ observantiæ & gratitudinis ergò

Hanc Φοινὴν συζήτησιν dedieat & consecrat

MARCVS GVETERMANNVS
Augustanus.



DE ANIMA.

I.



ORVM quæ facta sunt, humile & ab-
jectum est nihil: sunt autem omnia pul-
chra & magna & concinno ordine collo-
cata: ut Sapientie Magister affirmare
non sit veritus, *ἐπι πάσι τοῖς φυσικοῖς ἐν αἰ-
σῶσι πνευματικῶν.*

AEnes
Gazæus.
De partib.
Anim. l. 1.
ca. 5.

II.

Vnde Trismegisto ὁ νῦν δὲ τῆ φύσιν, & Macario ho-
milia 1. ἡ ψυχὴ ἐστὶ κτίσμα τοῦ νοεῖν & ὠραῖον & μέγα καὶ πνευμα-
τικόν.

Trismeg-
lib. 4.

III.

Divinum & admirandum Animæ opus nos recta qui-
dem, quod dici solet, linea, primum investigare ob naturæ
infirmi-
tatem, non potuimus (quandoquidem etiamnum
sensum omnem exuperat) Veruntamen sensuum beneficio,
qui accidentium more, magnam partem ad cognitionem
τῆς πνεύσεως, conferunt, in animæ cognitionem qualemcumque
illapsi sumus.

IV.

Namque cognitionis nostræ principium ἡ αἴσθησις, ita
ut nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, si ve
per se, si ve per aliud.

V.

Sensus ille intellectum quodammodo perficere dici-
tur, quem Philosophus τὸ λευκὸν ἢ τὸ κενὸν ὑπέδειξε ἐν
πλευσίᾳ λευκῆς ἢ κενῆς ἑπιπέδου tabulæ rase, cui actu nihil inscriptum,
inscribi autem omnia posse, comparat.

De Anima
lib. 3. ca. 4.

A 3

Verum

Verum enim verò dupliciter considerari potest intelle-
ctus, in se & ratione extranei cuiusdam deferendi atq; re-
cipiendi. Priori modo nulla ratione intellectus est similis
tabulae rase, quippe essentia actuq; suo instructus, cumq;
sit ἴξῆς ἰμφοῦτθ: natura enim nobis parvos dedit igniculos
seu scintillas, Φοσφῆρες ἐνοίας, πῆς ἀδιδάκτως πῶσι πρὸς ἄστρος,
ὡς τὸ εἶναι θεόν, οἴκοθεν τὸ πᾶσιν ἐποίμωσ ἔχέσας, ἢ μηδενὸς ἐπίρρ
πρὸς ἀπὸδειξῆν δεομῶσ.

Nemes.
cap. 13.

V II.

At posteriori modo, & habituū Παντήτων ἔ θεοπίματων
ratione, quibus qualitatium, non essentiae respectu, quam
hisce prorsus carens, habet, perficitur: est omnino tabulae
rase similis, quia est sedes & receptaculum formarum fo-
rinssecus introductarum.

Theologia
cap 3.
distinct.
8054.

V III.

Quandoquidem autem scientias facit congeneres
non subiecti eiusdem communicatio, sed modus
ipsarum: iccirco animam hinc, non qua extra domicilium,
quod inhabitat, & cui quasi inequitat, verum quatenus
corpus, cuius est forma, informando perficit, contempla-
bimur.

I X.

Anima enim tractationem, qua simpliciter est separata
& actus purus, non Physica, sed scientia δεχικωτάτη ἢ ἰνῆς
μοικωτάτη, cui inferiores inserviunt & ancillantur, sibi vindicet.

X.

Et quoniam ἐσ τῆ τάξῃ τὸ εὔ, de Anima aliquid di-
cturi, dicamus primum de essentia, quae facultatum res-
pectu



specu, cause rationem habet: postmodum de propriis sur-
culis, qui Facultates.

XI.

Tò ἐπὶ Animæ nemo, nisi ἀρρώστια ἀγωνίας laborans,
negabit, cum operationes ceu effecta cause ὑπαρξίν præ-
supponere de facili ostendi queat. Dicearchus tamen, ani-
mum esse nomen inane, nullamq; ejus esse naturam, ut &
Aristoxenus, si credimus B. Lactantio, mentem omnino
nullam esse, assevera verunt: τῶν ἐλεγχῶν ἰασι, cum
ex Hieronymi sententia adversus Pelagianos hominum
malè feriatorum opiniones prodidisse sit confutasse.

Lactantio
de Opifi-
cio Dei
cap. 16.

XII.

Qui Animæ essentiam concesserunt, illi aut substan-
tiam, aut accidens asseruerunt. Qui substantiam, alii in-
corpoream, alii corpoream dixerunt: incorpoream profes-
sus est Plato, qui eam dixit ἄσπαστην, ἐξ ἑαυτῆς κινητὴν,
κατὰ δεξιμὸν ἐκέρμην, & Aristoteles, dum illam ἐπιπέδου
constituit. Qui corpoream, alii puram, alii mixtam volue-
runt. In puris animam Parmenides & Democritus statue-
runt ignem, flatum igneum Zeno, datumq; esse hominibus
animam ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellæ
vocantur: aerem Varro ore conceptum, defervesactum in
pulmone, tepesactum in corde, diffusum in corpus: aquam
Hippon. In mixtis quoq; Democritus fortuito concursu le-
vium corpusculorum, quæ Atomos vocabat, ut res oriri
omnes, sic animum quoq; dicebat. Empedocles mistum
animum esse partim ex æthere, partim ex elementis voluit.
Eritias esse sanguinem, alii ventum, & animum q. ἀέριον

Lactantio
P. 374

A 3 dictum



dictum opinati sunt : Heracleitus esse ἀναθυμίασιν τῶν ὑγρῶν
exhalationem humidorum contendit.

XIII.

Nemes.
cap. 2.

Qui Animam accidens constituerunt, illi eam vel ad
Quantitatem, vel ad qualitatem retulerunt : ad Quantita-
tem retulit Pythagoras, animum numerum seipsum moven-
tem asserens : unde postea, ut loquitur Philoponus in Com-
mentariis Metaphysicis οἱ πυθαγόρειοι δεῖθμις τὰ φυσικὰ εἶδη
εἶλεγον, καὶ τέρας δεχθῆναι ἕχ ὑλικὴν αἰδή ὁρμηκῶν, ὅτι εἰ δεῖθμις
ὁρίζει τὰ δεῖθμις ἄρρα. Alii animam ad Qualitatem retule-
runt, ut Dinarchus, qui contendit esse eam ἀρμενίας qua-
tuor elementorum, vel secundum Aristoxenum, intenti
corporis. Andronicus Peripateticus, ut & ex Medicis qui-
dam animam κέσθιν seu temperamentum esse voluerunt.

XIV.

Animam autem non esse corpus, hisce rationibus de-
monstrari potest. Prima, πᾶν σῶμα, εὐλοῦν omne cor-
pus est materiatum. Anima autem non est materiata.
Ergo anima non est corpus.

XV.

Secunda. Omne corpus subjacet. Anima non sub-
jacet. Ergo anima non est corpus.

XVI.

Tertia. Nullum corpus per se & essentialiter di-
stingvit. At anima per se & essentialiter corpus distingvit.
Ergo non est corpus.

XVII.

Nemes.
cap. 2.

Quarta. Omne corpus per se est τριχῆ διαστάτων, tres
habet dimensiones. Anima autem nullas habet dimensiones:
quia ὅλος ὅλον. τῆ δὲ ψυχῆ καθ' ἑαυτὴν τρέσσει τὸ ἀδιάστατον.
Ergo anima non est corpus. Quin.

XVIII.

Quinta. Nullum corpus est ἐπιπέδου. Omnis anima est ἐπιπέδου. Ergo nulla anima est corpus.

XIX.

Sexta. Omne corpus est ἀντίτυπον. Anima non est ἀντίτυπος. Ergo anima non est corpus.

XX.

Septima. Nullum corpus est πρώτη ἕσια σώματ^{ος}. Atqui anima est πρώτη ἕσια σώματ^{ος}. Ergo anima non est corpus.

XXI.

Octava. Nullum corpus potest existere, nisi à forma perficiatur. Atqui anima potest existere etiamsi à corpore non gestetur. Ergo anima non est corpus.

XXII.

Nona. Nullum corpus, quia tale habet voluntatem seu inclinationem tendendi ad suam perfectionem. Sed anima habet inclinationem tendendi ad suam perfectionem. Ergo anima non est corpus.

XXIII.

Decima. Nullum corpus est causa actionum, seu principium motus. Atqui anima est causa actionum seu principium motus. Ergo anima non est corpus.

XXIV.

Undecima. Nullum corpus, quia tale seipsum continet, verum semper ab alio continetur. Atqui anima à nullo continetur. Ergo anima non est corpus.

XXV.

Duodecima. πᾶν τὸ κωῶν, inquit Trismegistus ἀσώματον, quicquid continet, est incorporeum. Anima autem corpus continet. Ergo anima non est corpus.

Mercurius
Trism., ca.
II. ad Tarsitium.

De.

XXVI.

Decima tertia. Omne corpus iis nutritur, ex quibus constat. (mediantibus alterationibus) Anima autem non nutritur corporis nutritione: τὰ γὰρ μαθήματα τρέφει αὐτὴν: Ergo anima non est corpus. Major est Aristotelis, quia eadē τῆ ἕσθια generationis & nutritionis constituit principia. Ἐστὶ γὰρ ἡμῶν ἡ τροφή ἔτι τὸ τροπὸν ἀπὸ τῶν στοιχείων, ἐξ ὧν ἔσθω ἐσθω.

XXVII.

Decima quarta. Omne corpus est in essentia generis. Atqui anima non est in essentia generis. Ergo anima non est corpus.

XXVIII.

Decima quinta. Omne corpus naturale est generabile. Atqui anima non est generabilis. Ergo anima non est corpus.

XXIX.

Decima sexta. Omne corpus habet figuram & superficiem. Atqui anima non habet figuram & superficiem. Ergo anima non est corpus.

XXX.

Decima septima. Omne corpus est communicabile, diversas formas, sed successive, recipiendo: quia ejus causa interna est ἀσθεχὴς, unig. formae nequaquam est mancipio adstricta, sed aliam atq. aliam subcessivis mutationum vicibus de facili recipere potest. Nulla anima est communicabilis. Ergo anima non est corpus.

XXXI.

Decima octava. Quod est causa essentiae, illud etiam est causa scientiae. Anima autem scientiae corpus non est.

est causa. Ergo neq; corpus erit causa essentiae in anima:
Formam enim quia tenemus, tenemus & materiam, non
contra, quemadmodum Philosophi testantur. Ergo.

XXXII.

Decima nona. Omne corpus est corruptibile & ex
se mutabile. Anima autem non est corruptibilis & mutabi-
lis. Ergo anima non est corpus. Major patet. πάντα γὰρ
τα εἴδη αὐτῶν αἰσθητῶν. Minor Ammonii luce lucet: ἡ γὰρ πῦρ
φωκὲ τὸ ἴσην κατ' ἑστίασιν ἀλλοικῶν. Ἐπὶ τῶν νοητῶν ἕντος μὲν
ζίνεται, ἀλλοίωσις δ' οὐ παρακολουθεῖ.

XXXIII.

Vigesima. Omne corpus ab agente laedi potest,
Anima autem ab agente laedi non potest. Passionibus enim
essentiam evertentibus non subjacet. Ergo anima non est
corpus.

XXXIII.

Vigesima prima. Omne corpus est mobile. Anima
autem est ἀκίνητος & neq; aliunde movetur. πάντα γὰρ κίνησις ἀπὸ
ἑνὸς ἐστὶν ἀμεγας. Ergo anima non est corpus.

XXXV.

Vigesima secunda. Omne corpus est μερῶν καὶ
διαμερῶν. Anima autem divisibilis non est: quia non habet
partem extra partem. ἡ γὰρ ψυχὴ ἀσώματος ἔστι καὶ οὐ χωρὶς
ἑσφωμένη τίπω, ὅλη δὲ ὅλα χωρῆσθαι τῆ φωνῆς αὐτῆς καὶ τῆ σώ-
ματος. Anima quia corporis expers, neq; loco definitur, to-
ta per totum & lumen suum, & corpus permeat. Ergo ani-
ma non est corpus.

XXXVI.

Vigesima tertia. Nullum corpus qua tale est perfe-
ctum quid. Anima autem qua talis est perfecta. Ergo ani-
ma non est corpus.

B

Vigesi-

XXXVII.

Vigesima quarta. Omne corpus cadit sub sensus.
Anima autem non cadit sub sensus. Ergo anima non est
corpus.

XXXVIII.

Vigesima quinta. Omne corpus est in loco. ὅγκω γὰρ τῆς
συνουφίσταται. Anima autem non est in loco. ἀμέγεδς γὰρ ὄν
ἐἴσογκον ἢ ἀμεγῆς, neque clauditur superficie fixa. Anima au-
tem est in corpore ὡς ἐν χεῖρῃ, ut in inclinatione: seu ut
Plato apud Aeneam Gazæum loquitur, ὡς ἐν τῷ Φερεῶ,
quam Empedocles ἀντρον, Plato verò in lib. de Repub.
ἐσθήλαιον appellavit. Nullum enim instrumentum est locus
sui agentis seu primò moventis. Corpus autem est instru-
mentum animæ: ἡ ψυχὴ, ex veterum sententia ἑστὶ ἐπίχει-
τεχνίτη, τὸδε σῶμα ὀργάνη. Ergo anima non est corpus.

XXXIX.

Vigesima sexta. Omne corpus opponitur incorporeo.
Anima non opponitur incorporeo. Ergo anima non est corpus.

XL.

Vigesima septima. Nullum corpus est θεῖον ἢ ἀγα-
θόν, ἢ ἐπιθυμητὸν. Anima autem est divina, bona & desidera-
bilis. Ergo anima non est corpus.

XLI.

Vigesima octava. Nullum corpus, quia tale, est
causa multitudinis. Anima autem est causa multitudinis.
Ergo anima non est corpus.

XLII.

Vigesima nova. Nullum corpus habet individu-
am essentiam, individuas vires, individuas actiones. Ani-
ma au-

ma autem habet individuum essentiam, individuas vires,
individuas actiones. Ergo anima non est corpus.

XLIII.

Trigesima. Omne corpus recipit δύναμιν ἀντιφάσεως
Anima autem non recipit δύναμιν ἐντελέσεως. Ergo anima
non est corpus.

XLIIII.

Vltima. Si anima esset corpus, tum duo corpora uno
continerentur loco & se penetrarent. Hoc autem absur-
dum. Ergo & illud.

XLV.

Hinc ergo videre est Fr. Patricium per Riphæas ^{παραφου}
nives errare, dum inquit: Atq; ita verè medium fit hoc ^{lib. 2.}
ens quod incorporeum corporeum nos appella-
mus, & Animum nuncupamus.

XLVI.

At quo pacto, Patrici, probatur, animum esse me-
dium inter corpus & incorporeum. Non esse corpus,
jam abundè satisfactum. Incorporeum autem non esse ab
eo hæ rationes afferuntur. Tum quia corpori est con-
trarium, eiq; iungi nequit: tum quia eius actione
corpus in nihilum regeret (lego redigeret.)

XLVII.

Verum enim verò μέλας μὲν αὐτῆς ἔπεπαινεται βότρυς,
niger certè istis radiis non coquitur botrus, ut habet pro-
verbium, hoc enim concluditur: duo contraria jungi non
possunt. At animus & corpus sunt duo contraria. Ergo
jungi non possunt, & vi consequentis animus erit mediæ
naturæ.

XLVIII.

B 2

Respon.

Respondetur autem contraria in gradibus excellen-
tioribus jungi non posse, in remissioribus utiq; posse. Pre-
terea contraria sunt duplicia, actionibus pugnantia, quarum
fortior in saccum detrudit debiliorem: aut τῆς ἰσότητος essentia
dissidentia: hæc amica dici possunt, illa inimica. Contra-
rietas formalis maxima est ἐκ τῆς ἰσότητος, quia formæ maximè
à se invicem distant. Minor præterea absolutè vera non
est: substantia enim substantiæ non est contraria, nisi ra-
tione differentiarum divisivarum, ut loquuntur Schola-
stici. Deinde secundum Alcinoum c. 25. de doct. Plat.
corpus & anima cognationem quandam inter se habent,
qualem ignis atq; bitumen.

XLIX.

Altera φανερὰ ratio hæc est, si anima esset incorpo-
rea, tum ejus actione corpus in nihilum redigeretur? At
reddatur ratio? primum Conclusio sequeretur, si inter cor-
poreum & incorporeum alterutrum esset accidens, acciden-
tia enim in actionibus contrariis in nihilum abeunt, at sub-
stantia materialiter ἐκ τῆς κατὰ λόγον non perit. Deinde
actio animæ quæ incorporea, & corpus non est, ut Scholasti-
corum more loquar, destructiva, sed perfectiva, ut corpus
animâ adveniente usq; adeò nihil amittat, ut potius ad fun-
ctiones naturales habile reddatur. Deniq; & hoc absurdum
sequeretur, si anima inter mediæ cujusdam nature inter
corpoream & incorpoream statueretur, nullam omninò
fieri rerum naturalium compositionem, per prædictas
rationes, quia omnes omnium rerum formæ tam internæ
quàm externæ sunt incorporeæ, jam autem incorporeum
cum corporeo jungi non potest. Ergò. Immo.

L,

Immo ex hac *πενταεργία* consequitur, nullum prorsus ens esse perfecte constitutum: dixit enim Patricius ideo animum non esse Pag 51. quia fieret de corpore ad corpus progressus in infinitum, hujus enim corporis aliud esset corpus, quod sustentaret, illud sisteret, & stare faceret. Ita nimirum, *τῆ ἐπαγωγῆ πρὸς ἀδιαιτου.* Effectus aut Patricius, proprietates causæ suæ secum fert, sed remis- παμψυ siores. Forma autem eidem est effectus materiae. Ergo for- χίας ma proprietates materiae tanquam causæ suæ secum fert, sed re- lib. 1. p. 50. missiores. Ergo forma etiam subjacet, forma etiam affecta est ad formam sustinendam, forma formas abiicit, forma est in poten- tia, & non ἐτελέχεια, forma omnium formarum est capax, forma est causa Quantitatis, est generabilis, est commune quid, & incertum quid, forma sola patitur, est locus formæ seu suiipsius, quæ omnia & sexcenta alia sunt *ἀσιλόγιστα, ἀσύστατα, κενὰ ἢ κεία.*

L I.

Minorem habet alibi. Materia causa est, ut forma sit, Discuti non autem forma causa est, ut sit materia. Peripat Materia actu p. 384. est materia, forma verò in ventre materiae in potentia est &c. & postquam forma de *VENTRE* materiae extracta, in actu ipsa quoque est.

L II.

Incorporeum igitur corporeum corrui. Iam ad alia. Demonstratum Animam non esse corpus. Per se igitur jam verum, non esse eam ignem, quemadmodum Elementarii Animæ carnifices statuunt, quia innatum calidum partim animæ est effectum, partim aliunde advenit: non aerem, quantumvis subtilem & tenuem, ut vult Diogenes: quia apes, vespe, & formicæ vis

B 3

vunt,

vunt, quæ tamen non respirant: ἔδεν γὰρ μὴ ἀναπνεύον τὸν ἀέρα, πνεῦμα ἴχθῃ: Non aquam, multa enim animalia sunt quæ non bibunt, ut de quodam aquilarum genere traditum est, & ut tradunt Nature consulti, per dix etiam vivere potest absq; potu: neq; humidum innatum, cum corporis sit nutrimentum. Non sanguinem, quia mala terminorum connexio hæc. Quo remoto, res tollitur, illius naturam & essentiam refert. Atqui sanguine emisso, anima ex ergastulo emigrat. E. sanguinis naturã & essentiam anima refert.

LII.

Addendum namq; aliquid ad propositionem, quo sublato essentiali scilicet & non quasi instrumentali res est ejusdem essentia. At anima corpore usa est, non essentiali parte, sed instrumento tantum. Idem enim est ac si queratur, lumen, quo utimur, quid sit & respondeatur, oleum esse, quoniam consumto illo, lumen extingvatur: cum sint utiq; deversa, & alterum sit alterius alimentum.

Lactanti-
us de opi-
ficio Dei,
cap. 17.

LIV.

Præterea sunt quedam ἀνομα, quæ tamen animata sunt, ὡς τὰ σελάχη ἔμαλάκια, αἶον σηπία, ἢ πευθίδες ἢ σμύροι, ἢ πάντα τὰ ὄσπρα κόδερμα ἔαπαλόσπρακα &c. Deniq; anima in corpore sine alimento, aut corde, cerebro, epate esse non potest. Ergo anima est ipsum alimentum, est cor ipsum &c. quod absurdum. Adhæc anima non est Quantitas, nec numerus seipsum movens, quia non crescit, nec quantitas discreta, nec par, nec impar &c.

LV

Neq; anima est ἀρμονία, ut Dinarchus, Simmias & Aristoxenus quoq; sunt opinati: quia omnis ἀρμονία est qualitas, & sic accidens. Anima autem non est accidens, cum destructo corpore superstes maneat, uti multi ἀχρόμφοίτες testantur, & ex illius ætationibus appareat, cum sit ἀπαθής, ἀμερής, ἀεγχε, χωρική, αὔλη, ἀγένητι ἢ ἀφθαρτ. Ergo anima non est ἀρμονία,

Lactanti-
us de opi-
ficio Dei,
cap. 16.

Des

LV I.

Deinde accidentia suscipiunt magis & minus. Anima autem non suscipit magis & minus, respectu actus primi quamvis actus secundi ratione quidam concedant, propter diversitatem in animantibus instrumentorum. Ergo anima non est accidens & vi consequentis non ἀγνοία.

LV II.

In nullam harmoniam, qua talis manet, contrarium autem ἀγνοία cadere potest; cum eam prorsus destruat. Atqui in animam, essentialiter non mutatam cadere possunt contraria, ut modo virtutis, modo vitii sit capax, salva manente anima; Ergo anima non est ἀγνοία.

LV III.

Denique anima non est ἡγῶσις temperamentum, quemadmodum ex Medicis multi, teste Leuvenclajo statuerunt, & in qua sententia etiam Galenus fuisse perhibetur, ut testatur Nemesius cap. 2. ratio haec est: ἡ ἡγῶσις οὐκ ἀλλήλις παρὰ τὴν τῶν στοιχείων μίξιν ἐστὶ. Temperamentum nihil aliud est, quam elementorum inter se commistio. Anima autem ex elementis non est composita. Ergo, Gregorius Nyssen. pag. 11. Gregorius Nyssen. de opificio hominis. cap. 27.

LIX.

Deinde si anima est ἡγῶσις, tum quaecumque ἡγῶσις admittunt, habebunt etiam animam. Omnia autem elementa, & quae ex his componuntur ἡγῶσις admittunt. Ergo omnia elementa sunt ἐμψυχα. Quod quamvis Fr. Patricius in ἐμψυχία, ut appellat, concedat, aliam tamen quercum excutiat oportet, si quid volet in hac area conficere.

LX.

Taceo quod temperamenta aetatibus, temporibus, vicibus permutantur, quae varietas & vicissitudo in animam non cadit.

LXI.

Quid!

Animal 2.
cap. 1.

Quid ergo tandem Anima? ἡ ψυχὴ ἐστὶν ἐν τελείῃ ἢ πρώτῃ, σώματι φουσιᾷ ζῶον ἔχοντι διωάσει, πῶς τὸ ὅ ἐν ἡ ὀργανικόν. Anima est actus primus corporis naturalis, quod particeps est vite facultate, cuius partes sunt instrumenta. Est enim forma substantialis corpus animans & perficiens.

LXII.

Lib. 4.
Pampsych
p. 55.

Patricius imperfectionis hanc definitionem arguit, illamque solis plantis tribui posse contendit, propterea quia motus localis, vis sentiendi, ut & gloria desiderio tangi, & rationem & intellectum possidere, fuerint omissa.

LXIII.

Verum uno verbo respondetur definitioni generali formas & affectiones specierum non esse inferenda.

LXIV.

Exerc. 307.
sect. 12.

Anima Aristoteli est actus primus, ἐπιτέλεια πρώτη seu ἐσιώδης quia quod animam & formam habet illud Philopono ἐν τέλειον ἔχει, aut Budæo ἐπιτέλεις συνοχήν, Hermolao Barbaro perfecti habiam aut Scaligero ἐν τέλει ἢ ἔχειν, aut Patricio ἐπιτέλεις ἔχει. Ergo anima non est motio seu cogitatio, non operatio, non actio ipsa, sed causa & fons operationis: excluditur ergo actus secundus.

LXV.

De anima
Libro 2.
cap. 1 πρὸς
ἐπί
λέχεια.

Neque veritati consentanea hæc vox: ἀριστοτέλης τῷ ψυχῆν ἐπιτέλεια λέγων, ἑδὲν ἡττον συμφέρεται, τῆς ποιότητος λέγουσιν αὐτῷ. suo enim se gladio jugulat: ἀριστοτέλης πρώτῃν ἐπιτέλεια καλεῖ τὸ εἶδος, δευτέραν δὲ τῷ ἐπιτέλειαν. Aristoteles actum primum vocat formam, secundum operationem.

LXVI.

Si enim Aristoteles animam actum primum dicens, statuit esse qualitatem & deinde accidens, ut ex Patribus quidam asse-
Verat,

Verat, tum sequitur, Aristotelem decrevisse, *τῶν ἰδῶν*, formam
omnem esse accidens. Verum hoc est absurdum: forma enim Ari-
stoteli est substantia. Metaph. l. 3. ca. 6. Metaph. li. 5. cap. 8.
Metaph. l. 7. cap. 3. c. 5. c. 7. c. 8. c. 10. & 11. Metaph. lib. 8.
cap. 3. Immo forma eidem magis natura esse videtur materia.
Quocirca dum animam per actum primum definiuit, non accidens
statuit. Triplex enim Aristoteli est substantia, materia, forma &
compositum, simplices duae, tertia composita. Quamvis sint qui di-
cant, animam non esse compositam, quod & verum, ex partibus
quantis, neq; ex materia & forma, non ex natura & supposito, non
ex subiecto & accidente, sed ex genere & differentia, seu ex esse
& essentia, qui compositionis modi etiam in formis intelligentibus
& Metaphysica materia, ut testatur Scaliger, distingui solent.

LXVII,

Præterea actus duplex est constituens & constitutus. Con-
stituens est anima. Constitutus autem est affectus rei aduentus
formæ exortus, qui à re nequit separari, quamdiu est, quiq; rem in
suo statu conseruat.

LXVIII.

Anima deinde est actus, at cuius rei? Corporis: forma enim
ad materiam habet relationem. Ergo & anima est actus corporis.

LXIX.

Non omnis autem corporis, non artificialis, non Mathe-
matici, sed naturalis multis præditi organis. Organicum autem
corpus est, in quo singula membra alterius causa facta sunt, uti &
totum. Habet etiam corpus potestate vitam, verum non ex sese
aut propria vi, sed resp. actu animæ.

LXX.

Organicum corpus ad obeunda munera, edendas functiones di-
uersas & varias, variis ac diuersis instrumentis est instructum.

C

Quod

Quod non tantum de animalibus, verum de stirpibus κατ' ἀναλο-
γίαν aut secundum modum debitum est intelligendum. Sunt enim
stirpibus folia, quibus conseruetur & tegatur, quod περιάρετον
vocatur, uniuersum illud, quo semen ipsum natura ornat, & ve-
stit. Habent radices, quae in animalibus oris vicem subeunt,
quando alimento priuantur, sunt illis fibrae venarum instar, aliaeque
partes animalium partibus correspondentes ut iure Zoroaster hic
laudari queat, dum inquit; Νῆ γ' μίμημα πέλης, τόδε τεχθέντι ἔχει σώ-
ματι.

LXXI.

Temes,
ap. 2.

Τῆ ψυχῆ σύμφορῶ ἐστὶν ἡ ζωὴ, τὰ δὲ σώματα κατὰ μέθεξιν.
Vivere etiam rem quamque suo vite genere, & interitus interire.

LXXII.

Trismeg.
ib. 11.

Hoc quidem verum est: τὸ ἐμψυχον animatum esse πρῶτον
δεκτικὸν vitae: sunt enim causa & effectus, inter quae nihil prius
intercedit: reciproca etiam sunt: nam omne ἐμψυχον vivit, &
omne quod vivit est ἐμψυχον. ὅτι γὰρ ζωὴ, οὐκ ἔστι ψυχὴ ἐστὶ, ubi vi-
ta, ibi etiam anima. Vnde Mercurius lib. 4. ἐν παντι τοῖς ἔσιν αἰ, ἀψυ-
χῆς ἐστὶν.

LXXIII.

ἡ ψυχή
pag. 49.

Vita Patricio nihil aliud est, quam essentia parturiens &
etionem tum in seipsa, tum ex seipsa. Idem contendit ἡ ψυχή
lib. 2. p. 50. animum mundi, caeli, sphaerarum, siderum, elemen-
torum, brutorum, stirpium, & si qui sunt alii, habere ab intellectu
essentiam suam, ESSEQUE INTELLECTUAL-
LEM ET HABERE INTELLIGENDI
VIREM ET INTELLECTIONIS ACTIO-
NEM: sed omnia remissiora &c. Ait etiam: Omne productum
non idem cum producente esse, sed ei esse simile, quatenus ab iilio
identitatis.

identitatis suæ aliquid auferat. Quæ cum Cardani opinione conspi-
rant, belluas omnia habere inchoata ab aliquo intellectu sub Lu-
na, quæ in homine sunt perfectæ.

LXXIII.

Quæ sunt ἀσυνδύγιστα, cum à generali Dei bonitate, liberaq;
voluntate omnia habere intelligendi vim, concludi non possit.
Axioma enim illud, productum refert naturam sui producentis,
de causa interna tantum non etiam externa accipi debet.

LXXV.

Quicquid enim parturit actionem ex seipso, illud sua natu-
ra habet actionem. Nullum corpus, quæ tale ex Patricii senten-
tia, sua natura habet actionem ullam: si quid enim corpora a-
gere videantur, per incorporeum quid, quod in ipsis est, id ope-
rantur: Omnis enim actio incorporei est. Ergò nullum corpus,
quæ tale, parturit actionem ex seipso.

LXXVI.

Uterius. Illud est vita præditum quod parturit actionem
ex seipso. Nullum autem corpus, quæ tale parturit actionem ex
seipso per priorem syllogismum. Ergò nullum corpus, quæ tale,
præditum est vita, ne dum vi intelligendi, ut vult Patricius.

LXXVII.

Corpus enim quodcumq; ex elementis conflatum considerari
potest, aut in se, aut quæ videtur, seu iuvat ἐκ ψυχῶν constituere.
Posteriori modo habet animam seu est animatum non ex se aut à
se, sed quia unitur cum anima, quæ duo ἐκ ψυχῶν constituunt.
Si corpus in se consideratum, antequam etiam constitutionem al-
terius ingrediatur, fuit animatum, necessario sequitur, in uno eo-
demq; subjecto duas esse vitas, duas vires sentiendi, duas facul-
tates loco movendi, duas facultates intelligendi: Vnam à se &

C 2

ex se

Panaugi
lib. 9. pa
20.

ex se, antequam ad constitutionem alterius concurrat: alteram,
cujus beneficio unionis cum anima compositi, fit particeps. Una
ergo eadem ꝑ anima τῆ σοία, sentiet anteq̄ iā sentiat, loco moventur
antequam moveatur, intelliget antequam intelligat. Aut prior
anima, accedente anima compositi, destruetur, aut in unam coa-
lescent: non destruitur, quia sic corpus, aliquid naturale amitte-
ret, fieretq̄ monstrum, nisi dicatur, composito corrupto, animaꝝ
quidem expulsa, redire rursus ꝓ ad veterem animam se confer-
re, quod absurdum. Non coalescunt quoq̄, quia sic multiplicatio,
compositio, divisio animarū introduceretur, quod sana Philosophia
abnuat. Corpus igitur ex elementis conflatum, antequam con-
stituat, non erit animatum: si ἄψυχον, corruiť Er.

Patricii ἠαμψυχ'α, quam vocat.

Tantum de Essentia Animæ, de facultati-
bus, Deo volente, aliàs.

F I N I S.



99 F 244

ULB Halle

3


002 039 583



Nur für den Lesesaal







Σὺν Θεῷ παλάμα
ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ
Disputationis prioris de
ANIMÆ ESSENTIA
Publicè proposita à
M. ELIA EHINGERO,
Respondente
MARCO GVETERMANNO,
Augustanis.
In celeberrima & inclyta VVitebergen-
sium Academia.
*Fuit disputatio ad diem 18. Decembris in Audito-
rio maiori Collegii novi, horis matutinis.*
VVITEBERGAE
Ex Officina Cratoniana, Anno
M. D. XCVI.

